

Exakte sequebatur tunc meum consilium, & malum ita fuit emendatum, ut actiones omnes fuerint restauratæ, disparueritque macies, quæ aderat per universum corpus.

Ultimis binis septimanis, quibus hunc pulverem æger sumfit, nullus observabatur sudor.

Nec rediit dolor, dum cessavit uti hoc pulvere; jam nunc quatuor menses sunt.

EXPERIMENTUM II.

Homo, 27. annor. vehementissimo dolore ischiatrico a sex septimanis vexabatur, dolor tandem vehementissimus brachium dextrum invasit tanta violentia, ut æger diu nonque ejularit.

Ex.

Externa internaque remedia , licet
subinde levamen adtulerint , malum
tamen idem mansit ; quum dolores post
exiguum & momentaneum interval-
lum mox iterum maiores facti sunt ,
& longe deterius ægrum excruciae-
runt.

Huic exhibui mane & vesperi gra-
na viginti pulveris superius notati.

Prima statim nocte miraculi instar
dormivit , nec ullum dolorem sensit.

Nec altero die rediit dolor , verum
corpus totum , præsertim circa pudend-
a pruritu ingratissimo afficiebatur ,
& eruperunt ubique pustulæ rubicun-
dæ , acri humore plenæ .

Æger inde bene habuit , appetiit ,
vires augebantur , continuo lenis ma-
dor observabatur per totum corpus ,
non

non autem aderat noctu adeo copiosus sudor, ut in ægro præcedenti.

Postquam per octiduum eadem dosi datus fuit pulvis, æger assumit purgans ex *unciis* quinque aquæ laxativæ dispens. Vien. & drachma una sal. polychr.

Alvus inde mota est septies, & disparuerunt pustulæ, minutusque est pruritus, & increverunt vires.

Usus dein est adhuc per quatuor septimanas eodem pulvere, nil insoliti inde advertit.

Sub finem sumvit adhuc purgans paulo superius descriptum, & erat tunc optime sanatus.

Quinque nunc sunt menses, nec ullam passus est recidivam, licet summa sit aëris inclemensia.

An hic pulvis solvit acrimoniam in minimis vasciculis circa tendines & ossa hærentem , ea obstruentem , producentemque dolores articulorum atrocissimos ? an eandem solutam ad corporis peripheriam propellit ? bini his casus videntur id docere.

EXPERIMENTUM III.

JUvenis, novendecim annor. in tertium annum febre quartana laboravit.

Febris hæc adeo erat pertinax , ut nulli medicamento obedierit.

Cortex peruvianus magna dosi & diu datus mitigavit quidem paroxysmorum vehementiam , eos vero penitus compescere non potuit.

Et